

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Cap. III. De Portis Hierosolymæ.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

CAP. III.

De Portis Hierosolymæ.

I. PORTÆ in circuitu Hierosolymæ novem
 (1) fuerunt: *Schindler. Pentagl. Porta probatica* *Neb. III. 1.* Hæc fuit propinqua (2) templo, & intromisit oves maectandas, atque lotas in *κολυμβήθρα* natatoria *Bethesda*, quæ proxima portæ fuit. *Porta piscium. Neb. III. 3.* Ante hanc portam Judas putatur (3) sibi fauces elisisse. Quo-

M 4

run-

(1) De numero & situ portarum non audeo quid proferre, quum res videatur intricatissima, & viros doctissimos excruciarit. Saltem putem, plures quam novem facile ostendi posse. Videatur *Cl. Coccejus in Ps. XLVIII. 3.* & *Zach. XIV. 10.* *Lightfootus Chorogr. in Matth. cap. XXI. 33.* Ista autem portarum pluralitas varias, quibus homines salutem quærunt, vias notavit, quæ tandem omnes in unum aditum ad Sanctum Sanctorum desinunt, & desinere debent.

(2) Quod hic Autor cum plerisque fermè dicit, scil. portam *προβατικὴν* fuisse propinquam templo, id infringit *Lightfootus Chorogr. in Joh. c. V.* Deinde Autor videtur *Bethesdam* ponere extra portam, *Lightfootus* intus eandem statuit *Chorogr. in Matth. cap. 26.* Præterea quod Autor dicat oves in ea piscina fuisse lotas, quæ aræ erant destinatæ, hoc idem eluit *Hor. Hebr. in Joh. cap. V.* Quia I. probatu difficile sit, hostias ante maectationem alicubi esse omninò lotas. 2. Quia inter vitiositates hostiarum hanc numeratam non comperias.

(3) Docti multa conquirunt, quibus *Mattheum cap. XXVII. 5.* concilient *Luce Act. 1. 18.* quum ille simpliciter dicat, quod strangulatus sit, hic, quod præceps factus erepue-

rundam opinio statuit, duas has portas, ut & portam equorum *Neb.* III. 28. ita dictas fuisse, quòd essent instar trium fororum, (4) *αἰθραπωλεία*, ubi

crepuerit medius, effusis visceribus. Quidam putant, ipsum non suspendisse se, sed passum esse τὴν ἀγκύνην *anginam*, morbum, ubi quis obstructo gutture & intercluso spiritu respirare cessat; hinc *Plaut.* vellem me in anginam verti, ut huic anicula fauces præoccuparem. Eodem morbo dicunt *Achitophelem* suffocatum, 2. *Sam.* XVII. 23. quia vox פֶּחַח idem sit ac Græcum ἀγκύνη, ἀπὸ ἀγκύνη. Vi igitur inter-

cepti spiritus putant ipsum procidisse, mediumque dissilisse. Alii arbitrantur ipsum potuisse se ex tenui arboris ramo suspendere, & sic delabi. Alii putant, quòd, cum diabolus ipsum per triduum totum obsedisset, tandem funesto illo die egressum urbe in sublime egerit, & præclusâ fauce humum præcipitavit, ut sic disruptus intestina effuderit infelix; & ex hoc tragico eventu ipsum denominatum Ἰσκαριώτην ab פֶּחַח fistula obturati-

one. Alii denique putant, ipsum forsân se in profundum barathrum, obligatâ prius gulâ, abjecisse; quum id familiare fuerit mortem quærentibus Judæis, teste *Josepho*. Quæ sententia foret plausibilis, si intelligi posset, ipsum prius se strangulasse, & deinde præcipitem dedisse; & si hoc esset possibile, cur gulam prius strinxerit? Puto ergo cum aliis, *Judam*, postquam se ipsum suspendisset, in pœnam ἀποχρησίας pro more à Magistratu de rupe præcipitatum, *Act.* I. 18. medium crepuisse intestinis effusis *coll.* 2. *Chron.* XXV. 12.

(4) Quòd apud portas fora fuerint, videtur negari non posse. 2. *Reg.* VI. 34. VII. 15. 18. Bina sata bordei siclo venient, sub porta, h. e. ejus foro. *Neb.* VIII. 1. Totus populus congregatus est אל-הַרְחֹב in forum, quod est ante portam. Deinde, quando porte dicuntur, equorum, piscium, ovium, non ob id dicuntur, quòd per eas solas ista bruta transiverint, aliòqui si oves altari sacræ appulissent ad

ubi oves, ἰχθυοπωλείς, ubi pisces, & ἵπποπωλείς, ubi equi, venales fuerint. *Stuckius conviv. lib. 2. c. II.* Porta vetus ita vocata creditur, quòd fuerit ex reliquiis Jebusitarum, nec disiecta ab Assyriis; vicina illa fuit monti *Calvaria*, extra quam Christus ἐσταύρωται in crucem actus est. Quantum ad cæteras portas, de iis nihil memorabile occurrit.

II. Quod attinet portas templi, duæ sunt (5) notabilio-

M 5

tabilio-

ad portam aliquam Orientalem vel Occidentalem, tum deflectere ad Australem portam ovium debuissent; dictæ ergo sunt à suis foris. Memoratur etiam הַעֲפֹרָתַיִם porta volucrum, quæ eadem putatur cum porta vetere *Neb. III. 6.* & porta prima *Zach. XIV. 10.* Josephus ἀλωσ. I. 6. c. 6. prodit, quod vallis ista, ante quam porta fuit, *Neb. II. 13. 15.* sit appellata, ἢ τῶν τεροποιῶν φάραγξ caseariorum convallis; sic forsan apud eam portam τεροπωλείον fuit.

(5) Tredecim vel quatuordecim templi portæ recensentur, & quidem ita, ut variis & diversis ferè singulæ nominibus ac plagis ponantur. Sanè, quemadmodum res non est liquida de portis urbis, ita nec de portis templi. Quonam autem modo recenseri possunt? I. Quod attinet atrium gentium, quinque portæ in id aditum dabant: 1. ab Oriente porta *Susan*, quòd in ea sculpta esset metropolis Persiæ, in captivitatis Judaicæ signum; 2. & 3. à Meridie erant duæ portæ, utraque dicta *Hulda*; 4. ab Occidente porta קִיפּוֹנוֹס, fortè à *Coponio* Judææ procuratore ita nominata; 5. ab Aquilone porta טְהִדִי *Thedi* nullius usûs. II. Quantum ad atrium mulierum, 6. ab Oriente erat porta dicta *Agia* *Act. III. 2.* & *Corinthiaca* *Joseph. de B. J. I. 5. c. 14.* & 7. ab Occidente נְשִׂיִם שַׁעַר porta mulierum; 8. ab Aquilone

tabiliores, quas Salomo excitavit. R. *Juda in l. Musar. Drus. præter. Job. IX. 22.* Altera illarum patebat *novis conjugibus*, altera *Pœnitentibus & Excommunicatis*. Pœnitentes discernebantur ab *Excommunicatis* operiendo labia suarum vestium parte. Nemo subiit istam *portam* denudatis labiis, nisi *Excommunicatus*. Israëlitaæ autem, qui Sabbatis confidebant in his *portis*, applausere novis sponsis ita:

lone forsan, שַׁעַר הַשִּׁיר, *porta cantici*, per quam intrabant *Cantores Levita. III.* In atrium *Israëlis* introentes immittebat 9. ab Oriente, *porta Nikanoris*, 10. ab Austro, שַׁעַר הַמַּיִם *porta aquarum*, quia per eam afferebant phialam aquæ ad libationem in festo *Scenopegia*; rursus 11. שַׁעַר הַבְּכוֹרוֹת *porta primogenitorum*, per quam *primogenita* ducebant, Austrum versus mactanda, 12. ab Aquilone *porta Nitsots*; 13. ab Occidente שַׁעַר קִרְבָּן *porta oblationis*; 14. item שַׁעַר הַדֶּלֶקָה *porta accensionis*, seu *lignorum*, quod per eam *ligna* ad altare inferrentur *Lev. VI. 12.* Duæ autem notabiliores *portæ*, quas Auctor indigitat, sine dubio erant, *porta Orientalis* in atrio *mulieris*, *Susan*, quæ etiam vocatur *porticus Salomonis*, & in qua sedebat *Sanbedrin* virorum *LXXII.* quamque respexit *Sacerdos summus*, vaccam rufam in monte *olearum* comburens & sanguinem ejus versus *Sanctum Sanctorum* spargens; Altera, *porta Nikanoris*, etiam *Orientalis*, sed in atrio *Israëlis*, in qua sedebat *Synedrium minus*, seu 23. virorum. Sub hac *porta* potum propinârunt mulieri suspectæ, mundâruntque leprosos aliosque pollutos. Hujus valvis programmata affigi solebant. Hic non prætereundum, quod, etsi cum quibusdam quædam in Occidente atrii *Israëlis* portas collocaverimus, *Josephus* tamen nobis narret, ab Occidentali atrii plaga nullam *portam*, sed continuum exstructum murum fuisse.

ita: Ille, *cujus nomen habitat in hac domo, exhilaret vos liberis. Pœnitentibus dixerunt: Ille, qui habitat hanc domum, letitiâ & solatio vos perfundat. Excommunicatis hæc dederunt: Ille, qui habitat hanc domum, commoveat corda vestra ad audiendum verba Sociorum vestrorum.*

III. Apud Judæos *munitissimæ fuerunt portæ*, sicut iis captis vel propugnatis tota urbs capta vel propugnata videretur. Simul etiam eadem *fora judiciaria* erant, in quibus Judices consilium capere, & causas dirimere solebant; (6) unde natus

(6) Quatuor circa *portas* Judæorum observanda. 1. Quod sub iis fuere *fora rerum venalium*. 2. Quod sub iis sunt *habiti civium conventus*. *Thren. V. 14. Ruth. III. 11. Gen. XXIII. 10.* 3. Quod sub iis *causæ diremptæ, latæ sententiæ, judicia facta sunt*. *Prov. XXII. 22. Amos. V. 10. 15. Deut. XXV. 7.* 4. Fuerunt *munimenta urbium*, unde *obfessi eruperunt, quæque hostes oppugnârunt &c.* *Es. XXII. 7. Jud. V. 8.* Hinc Turcæ *Aulam Ottomannicam* vocant *Portam*, à *Judiciis & munimentis*. Quando ergo dicitur, *portas inferni non victuras esse Ecclesiam*, *Matth. XVI. 18.* sensus est; 1. Neque *mortem detenturam esse piorum corpora in sepulchris*. *Job. XXXVIII. 17.* *Voci αἰδῆς* convenit *ἤνθη*; quod etiam *mortem & mortuorum*

locum notat. *Gen. XXXVII. 35.* 2. Neque *Diabolum pessundaturum Ecclesiam, neque omnibus suis technis, consiliis, methodicis, viribus & copiis fidelium animas subacturum, utpote per Christum potentiores*. Sic *αἰδῆς* ponitur *Luc. XVI. 23.* pro *τὸ πρὸς τὰ βασάνων*, coll. *Jac. III. 6.* 3. Neque quod *civitas magna, in qua solium suum Diabolus habet, contritura penitus & absorptura sit Ecclesiam; lethiferam populo doctrinam propinans, qua homines sopiti inferno proximi sunt*. *Quadruplici autem eo modo, quo*
portas

tus est ille loquendi mos, *λύπαι ἄδης ἔκατιγύου-
σιν αὐτῆς*, *Portæ inferni non prævalebunt ei*, scil. Eccle-
siæ. *Et hereditabit semen tuum portam inimicorum suo-
rum. Gen. XXII. 17.*

CAP.

portas paulò antè consideravimûs, *civitas magna*, vo-
lens prævalere Ecclesiæ & non prævalens eidem, consi-
derari potest. Nam 1. omnia sunt venalia Romæ tum cor-
poralia, tum spiritualia, juxta illud *Mantuan. l. 3. ca-
lam. suor. temp.*

Venalia nobis

*Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, Thura, Preces, Cælum est venale, Deusque.*

Vid. & *Apoc. XIII. 17.* Et notum est, quomodo Tyrus
mystica indulgentias nummis, cælum meritis emat ven-
datque. 2. Docent Historiæ, quomodo hujus civitatis
Cives, Cæsares & Reges consultârint ad conculcandam
Ecclesiam. *Rudolpho comitia Augustana* habente Jesuita
quidam hos affixit versus:

*Uttere jure tuo, Caesar, servosque Lutheri,
Ense, rotâ, ponto, funibus, igne, neca.*

3. Dictitant monumenta, quam sanguinolentæ sententiæ
& edicta contra Ecclesiam exclusa sint. 4. Scimus etiam,
quantis bellis, technis, copiis Ecclesiam infernus iste fa-
tigârit; sed omnibus etiam *ἰσχυροφανῶς* patet, quòd Eccle-
siæ non prævaluerint ejus portæ.

CAP. IV.

De Lucis & Celsis.

I. **A**ntiqui Pagani non tantum nulla templa
 (1) iuscitarunt, sed & nefas putarunt. *Hospin. de Temp. pag. 1.* Ratio creditur esse,
 quod nullum templum spatiosum satis & amplum
 Soli,

(1) Constat tempore Abrahami & longe post etiam,
 multas gentes papiliones metatas in locis, quæ pecora
 ad opimum pastum invitabant; præprimis autem in fron-
 dosis nemoribus; sic ut possent dicere:

*Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
 Riparumque toros & prata recentia rivis
 Incolimus. Virg. Æn. 6. vers. 673.*

Propterea igitur figere templa non poterant, nisi iis relictis
 nova statim in quæsitis recentibus locis moliri vellent. Ibi
 autem, ubi aliquantulum manserunt, aras fecere. Uti
 ex ipsius Abrahami exemplo patet. Ubi enim Patriarchæ
 suis pecoribus invenere felix solum, ibidem tuguriola sua
 erexerunt cum altari. Abrahamus dicitur struxisse altare
 & domicilium in קנען Gen. XIII. 6. XVIII. 1. quam vo-
 cem Angli aliique *planitiem*, alii verò *quercetum*, ut Belg.
Lycfen-bosch. Luth. *Sain* / interpretantur. Sic quia
 vagabundi in pratis & silvis oberrabant, usus templo-
 rum intermissus est; etsi etiam ea ratio accedat, quam
 Autor adducit. Hinc Tacitus de Germ. s. 4. loquitur:
*Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam huma-
 ni oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbi-
 trantur. Vid. plur. Heid. de orig. err. l. 6. cap. 4. & Ursin.
 Arb. Bibl. cap. 47.*